

Peninsulae balcanicae plantarum novarum ac rariorum decas prima.

Auctore Ph. Dr. FRANT. A. NOVÁK (Pragae).
 (Relatum die 8. mensis Aprilis 1940.)

Plantarum in itineribus meis per Jugoslaviam et Bulgariam collectarum studio deditus, specimina nonnulla commemoranda in herbaris inveni et hic, ut sequitur, descriptionibus ac adnotationibus criticis instruxi.

1. *Androsace obtusifolia* ALL. subsp. *hedraeantha* (GRISEBACH) ROHLENA f. *elata* f. n.

Foliis longioribus, usque ad 20 mm longis, et scapis elatis, post anthesin usque ad 15 cm altis, a forma typica differt.

Habitat: Jugoslavia: Zetska banovina: Montes Bjelasic planina: Inter septentriones et orientem ab oppido Kolašin, non procul a vico Krivi Do, ca 2100 m s. m. (leg. J. ROHLENA, VII. 1903. — Conf. Commentarii Regiae societatis scientiarum bohemicae, classis mathematicae scientiarumque naturalium, anno 1904, No. XXXVIII., p. 79).

Androsace hedraeantha GRISEBACH (Spicilegium Florae rumelicae et bithynicae, Vol. II., 1844, p. 3), BOISSIER (Flora orientalis, Vol. IV., 1879, p. 14), VELENOVSKÝ (Flora bulgarica, 1891, p. 480), KNUTH (F. PAX et R. KNUTH: Primulaceae in ENGLER'S Pflanzenreich IV., 237., 1905, p. 193) non est species propria, sed tantum *A. obtusifoliae* ALL. subspecies, quae ab *A. obtusifoliae* ALL. forma *typica* (KNUTH, l. c., p. 194) nec foliis, nec scapis ac pedicellis, sed tantum bracteis et calycibus glaberrimis differt. — Subspecies *hedraeantha* scapo crasso, iuvenili humili (in forma *typica* sec. GRISEBACH 13 mm, sec. BOISSIER 9—11 mm, sec. VELENOVSKÝ 5—8 mm, sec. KNUTH 10 mm), sub fructu saepe elongato (in forma *typica* 1—3 cm, sec. VELENOVSKÝ 3—5 cm, in forma *elata* usque ad 15 cm alto), foliis carnosulis (in forma *typica* sec. GRISEBACH 9 × 3 mm, sec. VELENOVSKÝ 5—10 × 2—3 mm, sec. KNUTH

7—10 × 2 mm, in forma *elata* 20 × 3,5 mm), florum umbella densiflora, bracteis glaberrimis, pedicellis crassioribus, sub anthesi brevibus et involucrum vix excedentibus, sub fructu saepe (praecipue in forma *elata*) bracteas superantibus, calycibus glaberrimis et calycis dentibus latioribus ab *A. obtusifolia* ALL. *typica* distinguenda est.

Subspeciei *hedraeanthae* specimina in montibus Rila planina (Bulgaria occidentalis: In saxorum graniticorum fissuris ad Urdini Preslap sub cacumine montis Malevica, ca. 2500 m s. m., leg. Dr. F. A. NOVÁK, 3. VIII. 1923, Iter bulgaricum I., No. 577) collecta caulibus 6 cm altis et pedicellis bracteas superantibus a forma *typica* disconveniunt.

Androsace obtusifolia ALL. subsp. *typica*, Europae mediae incola, e montibus Midžor a cl. N. STOJANOV (Bulletin de la Société botanique de Bulgarie, VIII., 1939, p. 65) indicata fuit.

2. *Androsace villosa* L. var. *macedonica* var. n.

(= *A. villosa* var. *congesta* DEGEN apud K. DRENOVSKI: Zweiter Beitrag zur Flora Alibotuschgebirge, p. 6 [Eigene Ausgabe, Sofia, 27. V. 1933] — non BOISSIER).

Planta perennis, dense caespitosa. Rhizoma sublignosum. Caules rufi vel ferruginei, saepe glabrescentes vel tantum pilis parvis glanduliferis sparse instructi. Folia in globulos densos, diametro 8—10 mm latos, inter se breviter distantes (usque ad 15 mm remotos), conferta, sessilia, usque ad 5 mm longa et 1,5 mm lata, fere tota longitudine aequilata, apice rotundata vel obtusa, integerrima, uninervia, nervo ad laminae dorsum tantum basi prominulo (folia subtus indistincte vel haud carinata), pagina ventrali tamquam glabra, tantum pilis parvis glanduliferis sparse instructa, margine et dorso pilis niveis numerosis, apicem versus directis, usque ad 2 mm longis (pilis parvis glanduliferis immixtis) obsita, praecipue apice penicillate villosa. Scapi evoluti, 15—20 mm longi, pilis 1,5—2 mm longis villosissimi, triflori. Inflorescentia dense villosa (pilis parvis glanduliferis immixtis); bracteae 3—4, lanceolatae, 4—4,5 mm longae et 1—1,5 mm latae, apice subacutae (subcucullatae), calyces nonnumquam longitudine superantes; pedicelli brevissimi vel flores sessiles. Flores 6—8 mm diametro lati; calyx 3,5—4 mm longus, calycis dentes dense villosi, ca. 1,5 mm longi, apice obtusi et penicillate barbati; corollae tubus globoso-urceolatus calyce inclusus; corollae lamina alba, fauce annulo purpureo signata.

Habitat: Bulgaria austro-occidentalis: Montes Pirin planina: In saxosis calcariis apricis ad montis El-Tepe declivia

meridionalia, 2700—2900 m s. m. (leg. Dr. F. A. NOVÁK, 24. VIII. 1936, Iter balcanicum VIII., No. 7801. — Typus!!); ad declivia orientalia supra tugurium Banderica nominatum, solo calcario, 2550—2600 m s. m. (leg. Dr. J. DOSTÁL, 24. VIII. 1936, No. 3967, 3979; specimina in herbario instituti botanici universitatis Carolinae Pragmae asservata). — Bulgaria austro-occidentalis: Montes Alibotuš planina: In saxosis calcariis apricis ad montis Carev Vrh declivia, 2000 m s. m. (leg. N. STOJANOV, 10. VII. 1920, sub *A. villosa* L.; conf. N. STOJANOV: Über die Vegetation des Ali-Botusch Gebirges. — Jahrbuch der Universität Sofia, Bd. XVII., 1921, p. 27). — Jugoslavia meridionalis: Vardarska banovina: Montes Porta: In saxosis apricis regionis alpinae supra pagum Huma (ad Graeciae confines, non procul ab oppido Djevdjelija), ca. 1700 m s. m. (leg. Dr. M. DIMONIE, VI. 1909; specimina in herbario instituti botanici universitatis Carolinae Pragmae asservata).

3. *Arctostaphylos uva-ursi* (L.) SPRENG.

Bulgaria meridionalis: Montes Rodopi planina: Ad silvarum margines ad declivia calcaria montis Crvena Stena supra vicum Bačkovo (leg. Dr. F. A. NOVÁK, 10. VIII. 1923, Iter bulgaricum I., No. 764). Specimina foliis oblanceolatis distincta.

Arctostaphylos uva-ursi (L.) SPRENG. est planta in foliorum forma valde variabilis (G. HEGI: Illustrierte Flora von Mitteleuropa, V. Band, 3. Teil, 1927, p. 1659, fig. 2671). — VELENOVSKÝ-i (Flora bulgarica. Supplementum I., 1898, p. 189) adnotatio ad specimina e locis apricis collecta pertinet et subvar. *bulgarica* (HAYEK et MARKGRAF: Prodromus Florae peninsulae Balcanicae, Vol. II., 1928, p. 19; conf. etiam P. CRETZOIU: Über die Ericaceen Bulgariens in Actis pro fauna et flora universali, Series II. Botanica, Vol. II., București 1937, p. 9) me iudice tantum oekomorphosam sistit, quoniam ramulos triennios puberulos non solum VELENOVSKÝ-i specimen e montibus Vitoša proveniens, sed etiam specimina, quae in rupibus calcariis in faucibus Velký Sokol dictis (Slovakia septentrionalis, Slovenský ráj, Hrabušické rokle, non procul ab oppido Spišská Nová Ves) collexi, habeant. In montibus Vitoša planina (Bulgaria occidentalis; in graminosis sub cacumine montis Cernij Vrh, ca. 2000 m s. m., leg. Dr. F. A. NOVÁK, 27. VII. 1923, Iter bulgaricum I., No. 136) et in montibus Rila planina (Bulgaria occidentalis; in graminosis supra tugurium Skakavica, ca. 2000 m s. m., leg. Dr. F. A. NOVÁK, 31. VII. 1923, Iter bulgaricum I., No. 351) *A. uvae-*

ursi specimina foliis oblongo-spathulatis distincta et formis *Alpium paria* et *aequalia* collexi.

4. *Erica carnea* L. f. *puberula* f. n.

Ramulis trienniis et junioribus dense puberulis, eis vernalibus hirsutis vel villosis, foliis praecipue junioribus „margine“ dense pilis acutis ciliatis et prophyllis margine fimbriatis a forma typica glabra (conf. REICHENBACH: *Icones florum germanicae et helveticae*, Vol. XVII., 1855, p. 73; A. Y. GREVILLIUS et O. KIRCHNER in KIRCHNER-LOEW-SCHRÖTER: *Lebensgeschichte der Blütenpflanzen Mitteleuropas*, Bd. IV., 1., 1923, p. 147; HAYEK et MARKGRAF: *Prodromus Florae peninsulae Balcanicae*, Vol. II., 1928, p. 20 etc.) differt.

Habitat: Jugoslavia: Drinska banovina: Montes Zlatibor (Serbia occidentalis): In herbis ad declivia ad solis occasum spectantia apud fontem Stublić Česma, non procul a balneis Kraljeva Voda, in serpentinicis, 980—990 m s. m., satis frequens (leg. Dr. F. A. NOVÁK, 23. V. 1926, *Iter balcanicum III.*, No. 1131).

Adhuc nullo alio loco inventa et observata.

5. *Goniolimon collinum* (GRISEBACH) var. *serbicum* (VISIANI) NOVÁK

(Bulletin de la Société botanique de Bulgarie, Vol. VII., 1936, p. 59) = *G. serbicum* VISIANI (*Plantae serbicae rariores aut novae*; Decas I., 1862, p. 18, tab. IV).

Folia subcoriacea, parva, lata (laminarum latitudo folii longitudine $3\frac{1}{2}$ —4 × brevior), brevissime petiolata, margine ciliolata et undulata; cincinni semper uniflori.

Secundum cl. Rob. de VISIANI *G. serbicum* habitat „in glareosis ad Raška circuli Čačkensis, ad Kremna circ. Užicensis et in saxosis serpentinaceis ad Brdjane et Klakovi sub Brusnica in circ. Rudnikensi“.

Ipsae *G. collinum* var. *serbicum* collexi in lapidosis serpentinicis ad declivia ad meridiem spectantia in convallibus rivuli Trnavska reka apud oppidum Raška (Jugoslavia, Zetska banovina, septentrionali-orientem versus ab oppido Novipazar), ca. 450 m s. m., sparse (20. VIII. 1930, *Iter balcanicum VI.*, No. 5477).

Huius plantae locus classicus alter est Brdjanska klisura in Serbia (Jugoslavia: Drinska banovina orientalis: Convallia rivuli Despotovica, ad septentriones versus ab oppido Čačak, 300—500 m s. m., saxa serpentinica). — In herbario Bosniae et Herce-

govinae Sarajevensi sub scheda cum nomine *Goniolimonis serbici* a cl. PANČIĆ in Brdjanska klisura (VI. 1883) collecti (scheda Pančiči authentica et originalis) — *Statice Gmelini* WILLD. asservata est! — *Statice Gmelini* WILLD. crescit tantum in salsis, nec umquam occurrit in saxosis et lapidosis serpentini-cis, ut ea reperimus in convallibus Brdjanska klisura dictis, ubi *Statice Gmelini* WILLD. certe deest! — Commutatio in herbario!

**6. *Lysimachia nummularia* L. f. *longe-pedunculata* (OPIZ)
subf. *parviflora* (OPIZ) n. comb.**

= *Nummularia prostrata* β *longe-pedunculata* a. *parviflora* OPIZ (BERCHTOLD und OPIZ: Ökonomisch-technische Flora Böh-mens, III., 1., 1841, p. 461) = *Lysimachia nummularia* L. var. *longipes* DAVIDOV (Une récolte botanique dans la Trace occiden-tale. Travaux de la société Bulgare des sciences naturelles, Vol. VIII., 1915, p. 109) = *Lysimachia nummularia* subf. *longipes* HAYEK et MARKGRAF (Prodromus Florae peninsulae Balcanicae, Vol. II., 1928, p. 31).

Florum pedicellis folio fulcranti distincte (saepe duplo) longioribus et petalis tantum 7—8 mm longis a forma typica differt.

Satis frequens, e. g. Jugoslavia: Zetska banovina: Territorium quondam Sandžak Novipazar dictum: In dumetis subhumidis apud vicum Ivanje non procul ab oppido Prijepolje, ca. 450 m s. m., copiose una cum subf. *grandiflora* (OPIZ) NOVÁK (leg. Dr. F. A. NOVÁK, 28. VI. 1930, Iter balcanicum VI., No. 1091).

7. *Monotropa hypopitys* L. var. *tomentosa* VELENOVSKÝ.

(Allg. Botanische Zeitschrift, Jahrg. 1904, p. 34; conf. K. DOMIN: Vergleichende Studien über den Fichtenspargel — in Commentariis Regiae societatis scientiarum bohemicae [Sitzungsberichte der k. k. böhmischen Gesellschaft der Wissen-schaften], classis mathematicae scientiarumque naturalium, anno 1915, No. I., p. 22) e Bulgaria (Vitinska planina, leg. J. K. URUMOV 1903) — non est varietas vera in taxonomiae botanicae sensu proprio, sed tantum *Monotropae hypopitys* var. *hirsutae* ROTH formae *typicae* specimen male et deterrime siccatum, neglegenter asservatum et propterea in inflorescentia m u c i d u m. In specimine unico originali ac authentico (e VELENOVSKÝ-i herbario) „tomentum“ non est indumentum, sed hy-pharum contexte intricatarum intertextum laniforme, ut cl.

prof. Dr. S. PRÁT me certiozem fecerit. Nec quisquam e botanicis bulgaricis varietatem tomentosam in natura observavit, nec ullum specimen „tomentosum“ in herbariis sophianis asservatum inest, ut per litteras ipse cl. prof. N. STOJANOV me certiozem fecerit. Propter hanc causam *Monotropa hypopitys* var. *tomentosa* VEL. e litteratura botanica eximenda ac exstinguenda et hoc nomen reiciendum est.

8. *Primula Halleri* J. FR. GMELIN.

(Onomatologia botanica completa, VII., 1775 sec. O. SCHWARZ: Mitt. d. Thür. Bot. Ver., N. F., 42., 1935, p. 105) = *P. longiflora* ALL.

Jugoslavia: Zetska banovina: Territorium quondam Sandžak Novipazar dictum: In pratis subhumidis ad declivia calcaria ad septentriones spectantia „Pudov Kamen“ dicta apud vicum Budjevo, in meridiem ab oppido Sjenica, ca 1300 m s. m., sparse (leg. Dr. F. A. NOVÁK, 15. VII. 1930, Iter balcanicum VI., No. 3403). Statio commemoranda!

In territorio civis nova; in peninsula balcanica planta rarissima; adhuc tantum e regione alpina montium Treskavica (1600—2000 m s. m.; Bosnia), Durmitor (2000—2300 m s. m.; Crna Gora), Korab (2300—2800 m s. m.; confines Albaniae et Jugoslaviae), Golešnica (1950 m s. m.; Macedonia), Midžor (2000—2100 m s. m.; Stara Planina ad confines Jugoslaviae et Bulgariae), Rila (2250 m s. m.) et Pirin (Bulgaria).

9. *Primula bosniaca* G. BECK-MANNAGETTA.

(Annalen des k. k. naturhistorischen Hofmuseums in Wien, Bd. II., 1887, p. 126) = *Primula veris* L. subsp. *Columnae* (TENORE) WIDMER × *P. vulgaris* HUDS. var. *genuina* PAX.

Jugoslavia: Moravska banovina (Serbia austro-occidentalis): Montes Stolovi planina: In herbis ad declivia umbrosa septentrionalia montis Ostra Čuka, secus viam apud vicum Mataruge, non procul ab oppido Kraljevo; in serpentinis, solo humoso, 250—260 m s. m., solitarie una cum parentibus (leg. Dr. F. A. NOVÁK, 19. V. 1926, Iter balcanicum III., No. 1285). Quoad ad Serbiam pertinet, planta nova (conf. HAYEK et MARKGRAF: Prodrumus, II., p. 24).

10. *Silene regis Ferdinandi* DEGEN et URUMOV.

(Magyar Botanikai Lapok, XI., 1912, p. 2, tab. I.; URUMOV in Spisanie na Balgarskata Akademija na naukite, V., 1912, p. 37).

PÉNZES A. in Borbásia (Vol. I., no. 10., 1939, p. 162 et 169) *S. regis Ferdinandi* et *S. Urumovii* JÁVORKA et URUMOV (in Revue de l'Académie bulgare des sciences, vol. XVII., 1919, p. 215) pro plantis identicis putat; sed auctor operis huius *S. regis Ferdinandi* et *S. Urumovii* classificationem systematicam iam anno 1924 in tractatu „Kritische Betrachtungen über den Formenkreis der *Silene longiflora* EHRH.“ (Beihefte zum botanischen Centralblatt, Bd. XL., 1924, Abt. II., p. 410—420) perillustravit. Ad incertum revocatur, utrum PÉNZESI *S. Urumovii* cum *S. Urumovii* JÁVORKA et URUMOV, an cum *S. longiflora* EHRH. var. *regis Ferdinandi* f. *ramosa* NOVÁK (l. c.) identica sit. *S. longiflora* var. *Urumovii* (JÁVORKA et URUMOV) calycem ca 30 mm longum et carpophorum 17—18 mm altum praebet, *S. longiflora* var. *regis Ferdinandi* (DEGEN et URUMOV) calyce 32—36 mm longo et carpophoro 24—26 mm alto distinguenda et insignis est.